dero? Inde tamen ἀπαιδεύτως colligeretur, me in ejusdem verba juraſſe. Sed de his quidem pro tuenda concorde concordia nunc ſatis.

XIII.

PARORAMA V.) Cum in eapſe Apologia Auguſtanæ Confeſſionis *ſub rubrica de votis Monaſt. Edit. Lipſ. de anno 1602. pag.* 283. *Normal. Norib. pag.* 487. illa ponuntur verba: *Deus ne ſuæ quidem legi hunc honorem tribuit, quod mereatur vitam æternam, ſicut clare dicit apud* Ezechiel *cap. XX.* 25 Ego *dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*; non eſt perverſa, ut putatur, allegatio Autoris, de ipſa lege divina id intelligentis, quod ſuffragante Lutheri ſcholio, fallor, an de doctrina idololatrica & humana fuerat capiendum? Nempe Fontes potius h. l. Vulgatam, quam Apologeta ſequitur, comprobant (וגם אני נתתי להם חקים לא טובים *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona*) quam vernaculam noſtram verſionem: Darum ergab ich ſie in die Lehre/ſo nicht gut iſt. Sane *Hieronymus in* Comm. ubi de ipſa lege divina hæc explicat, inter alia differit, *eo tempore, quæ natura bona erant, præcepta Domini & Judicia, in quibus poſſunt credentes vivere, facta fuiſſe Iſraëlitis non bona, dum nequaquam voluerint in captivitate legis præcepta ſervare, & tacere, quæ divinus ſermo mandavit, ut adeo præcepta Dei bona vitio ſuo fecerint non bona.* Pertinet huc diſtinctio Chemnitiana *L. de Lege LL. Tom. II. p. m.* 5. ubi præclare monet ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, legem divinam duobus modis conſiderari, *vel per ſe* ut *Deut. XI.* 26. & *XXX.* 19. *Propoſui tibi vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; vel, quatenus referatur ad naturam noſtram peccato corruptam & vitiatam:* ita *Rom. VII,* 10. *mandatum, quod Paulo fuerat ad vitam, inventum ipſi fuiſſe ad mortem:* & in illa relatione Paulum dicere, quod *lex operetur iram Rom. XIII.*15. quod ſit *miniſterium mortis* 2. *Cor. III.*7. quod illi, qui

ſub